

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XLV. De obedientia et timore, et qualiter homo suscipiat sibi ministrantium laborem.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

CAPUT XLV.

DE OBEDIENTIA ET TIMORE, ET QUALITER HOMO SUSCIPIAT SIBI
MINISTRANTIUM LABOREM.

DUM in quadam Missa Portariam videret gravatam ex supervenientibus hospitibus, mota compassione, pro ea Dominum exorabat. Cui Dominus: « Omnia vestigia quæ homo propter obedientiam ambulat. ac si denarios singulos in mea manu congregat, ita ejus meritum augmentant. » Tunc illa dixit: « Dulcissime Deus, licet valde grave mihi sit quod infirmitate detenta Conventum sequi non valeo, multum tamen et magnas tibi refero gratias, quod a multis occupationibus me liberasti. » Ad quod Dominus: « Cum in necessariis claustrum utiliter occupabis, semper timebas impediri in spirituali exercitio, et in dono tibi dato; modo in tuis infirmitatibus times ne plus commodi accipias, quam necessitas requirat. Sic justus homo semper timet in cunctis operibus suis, sicut de Job legitur, cui testimonium perhibui, quod non fuerit ei similis in terra, timens Deum et recedens ab omni malo, qui tamen de se dixit: *Verebar omnia opera mea.* » (JOB. IX. 28.)

In operibus
timeatur, ne
amittatur
Dei gratia.

« Homo enim necessaria, et corporis commoda suscipere deberet in unione amoris illius, quo ipsi omnia ad utilitatem creavi. Secundo, in unione amoris, quo ipse in terris ad honorem Patris et hominum salutem creaturis utebar. Tertio, labores et servitia sibi ministrantium accipiat in unione amoris, quo ipsi in honorem Dei servitur, et ut servientes inde sanctificentur et remunerentur. »